DE CONGRVO DELECTV POTVLENTORVM IN MORBORVM CVRATIONE PERQVAM NECESSARIO,

DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

ET

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS CONSENSV

PRAESIDE

D. ANDREA ELIA BVCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,

IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE

ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,

D. IVNII, A. S. R. CIↃIↃCCXXXXIX.

H. L. Q. C.

IN REGIA FRIDERICIANA

DISPVTABIT

CHRISTIAN. GOTTHOLD GREIFFENHAGEN,

COTBVSIO-LVSATVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

CONGRVO DELECTV POTVLENTORVM IN MORBORVM CVRATIONE PERQVAM NECESSARIO.

PROOEMIVM.



Nec vitam humanam diu persistere, nec sanitatem, auro quovis pretiosiorem, conservari, nec morbos, sat crebro corpus humanum invadentes, in salutem aegrotantium cedere posse sine POTVLENTORVM *adsumtione, fore, qui neget, credo neminem. Ipsam corporis humani fabricam, purpureum ad vitam necessarium laticem, ipsasque functiones vitam & sanitatem conservantes, potulentorum adsumtionem requirere, quilibet, haec paulo attentius considerans, perspiciet. Partes corporis humani durissimas e fluidis ortum ducere, & sanguinem ceterosque ex illo provenientes humores continuis, vita durante, motibus immutari, imminui & in vapores resolvi, neminem Medicorum fugit. Nunquam igitur soli-*

dae in corpore humano partes produci, & fluida, ad vitam quam maxime necessaria, conservari potuissent, nisi homini a summo & sapientissimo eius conditore facultas POTVLENTA *ingerendi fuisset concessa. Miserrimus sane ac deplorandus mortalium existeret status, hac si destituti essent potulenta ingerendi facultate; quis enim eorum vita diu frui, quis firma sanitate gaudere potuisset? Miserrima sane conditio illorum, qui, diu potulentis destituti, siti intensa premuntur, luculenter ea, quae diximus, comprobare potest. Cruciatus insignes, corporis extenuatio, ingens virium iactura, reliquaque symptomata sitim diu perpessam subsequentia, quid aliud denotant, quam potulenta adsumendi necessitatem aeque ac utilitatem? Medicorum haud pauci hinc, firmioribus suffulti rationibus, obtendunt, sexum sequiorem prae potiori gravioribus & pluribus cruciari morbis, ex ea potissimum ratione, quod parcius isto potulenta adsumat. Eheu! quae tunc illius facies esset, si nulla plane adsumeret? Aegrotantes, praecipue vero morbis insigni aestu stipatis laborantes, aegre immo rarissime sanitatem recuperare, potulenta dum parcius vel raro adsumunt, quamplurimae Practicorum celeberrimorum testantur observationes.*

Medicis igitur parum, vel plane nihil spei in aegrorum curatione remaneret, si illis nulla potulentorum specie subvenire possent; optima sane alias medicamina nil proficerent nullumque aegrotis adferrent levamen, quippe sine potulentis haec sanitatis praesidia aegre ad ventriculum, multo minus ad massam perve-

pervenirent ſanguineam. Maxime exinde potulentorum adſumtionem hominibus quibusvis ſanis & aegrotis, immo magis neceſſariam eſſe ciborum ingeſtione, non eſt quod multis probemus. Exempla hominum quorundam, qui ſine cibis vixerunt, & obſervationes multorum aegrotantium, qui feliciter ſine ciborum adſumtione convaluerunt, id luculentius teſtantur. Neſcio autem, an unquam quis legerit vel audiverit, hominem ſine potulentis vixiſſe, aut aegrotos ſine uſu potulentorum convaluiſſe, manifeſto ſane indicio, tantam eſſe potulenta adſumendi neceſſitatem, ut nullus mortalium ſine illorum uſu ſanitatem conſervare & vitam continuare valeat. Nec obſtat, ſi quis regereret, cricetos, mures arvenſes aliaque animalia hyberno tempore nihil fluidi aſſumere, vita tamen ſuperſtite; nullus enim certiſſime poteſt evincere, quod haec animalia e ſuis ſpeluncis & cavernulis non ſoleant prodire & nivem vel aquam congelatam ingerere; ſique etiam veriſſimum eſſet, haec animalia ad tempus quoddam ſine fluidorum adſumtione poſſe vitam conſervare, nullo tamen iure ab iisdem ad homines concludi poteſt, quod hi pariter ſine ſanitatis diſpendio potulentis per longum temporis ſpatium, multo minus per vitae decurſum, carere valeant.

Maximam quidem, ratione potulentorum adſumtionis, inter homines eſſe diverſitatem, dum alii copioſius & frequentius, Boneſi *ad inſtar, (quem copioſa potulentorum ingurgitatione omnes alios homines exſuperaſſe, antiquiores referunt,) alii e contra parcius & rarius iſta adſumunt, lubens concedo; interim tamen*

men a quibusvis potulenta adſumi, nullumque mortalium illis carere poſſe, quilibet, experientiam tanquam optimam rerum magiſtram reſpiciens, concedet. Nec aliter fieri poteſt, quin ob inſignem, quam corpori humano praeſtant, utilitatem, neceſſaria iſti exiſtant. Cum enim ſanguinis fluiditas a potulentis quoad maximam partem dependet, haec vero partium flexibilitatem, adiuvante calore, vaſorum permeabilitatem reliquasque functiones promovet & in vigore conſervat, fit inde, ut homo ſine ſanitatis vitaeque detrimento illis carere nequeat. Si quis autem maximam ſubiectorum diverſitatem conſiderat, ſtatim adparet, non unum idemque potulentum omnibus & ſingulis poſſe convenire, ſed potius pro circumſtantiarum varietate potulentum cuivis conveniens eſſe ſeligendum. Id maxime neceſſarium videtur in morbis, ut Medici, dum iuxta HIPPOCRATIS Sect. II. Aph. 11. *facilius eſt potu refici, quam cibo, aegris potum decentem & adpropriatum, a quo magna felicis curationis pars dependet, praeſcribant & commendent, quippe qui, omnem ſaepe cibum averſantes, unicum ſolatium in potulentis quaerunt.*

Quae cum ita ſunt, ſuaſu Illuſtr. DN. PRAESIDIS *impulſus, praeſenti ſpecimine inaugurali* delectus potulentorum congrui neceſſitatem *pariter ac* utilitatem *ſummam*, pro curatione morborum *adiuvanda, pro virium modulo ſpecialius oſtendere conſtitui. Faxit ſummum Numen, vt qualescunque hi conatus in ſui maxime gloriam & aegrotantium cedant ſalutem.*

§. I.



§. I.



Quoniam ab hominibus, cuiuscunque aetatis, ſexus, temperamenti & loci ſint, potulenta adſumuntur, ſupervacaneum quodammodo videtur in limine huius Diſſertationis explicare, quid per *potulenta* intelligatur: verum, ſi iuxta Romanae eloquentiae principis effatum omnis bona a definitione incipit tractatio, merito nobis incumbit, ut eadem via incedamus. Ad diſtinctum igitur conceptum de potulentis obtinendum, neceſſarium tantummodo eſt, ut ad nosmet ipſos attendamus, ſi potulenta adſumimus: obſervamus tunc, corpus fluidum ore adſumi & ſenſim exſpiratione ſuccedente deglutiri. Sicuti autem corpora iſta fluida vel calida, vel frigida ſunt; ita etiam deprehendimus, calida, quae ſorbillando adſumuntur, cum inſpiratione, & frigida praevia illa ore recipi, ſenſimque dein ſubſequente exſpiratione, quam ſub bibendo factam mox ſuccedens, ſi a potu deſiſtimus, inſpiratio manifeſtat,

deglu-

deglutiri. Conveniunt igitur in genere omnia potulenta in eo, quod, ore adſumta, ſenſim ſubſequente exſpiratione deglutiantur. Erunt hinc potulenta, *corpora fluida, quae, ore adſumta, ſenſim ſubſequente exſpiratione deglutiuntur.*

§. II.

Si cauſſas, quae efficiunt, ut omnibus hominibus neceſſaria ſint potulenta, rimamur, facile reperire licet, nutritionem corporis humani & huic inſervientem chylificationem ad claſſem illarum praecipue eſſe referendam. In vitam primum introire corpus humanum tenerum & infirmum, ſucceſſu autem temporis evadere firmum & robuſtum, quotidiana docet experientia. Partibus igitur corporis humani aliquid adponi debet, ut ſenſim in longum & latum extendantur. Fit haec extenſio partium, quoad omnem dimenſionem, ope adpoſitionis fluidiſſimarum gelatinoſarum molecularum portionis ſanguinis diaphanae, ſeu ipſius lymphae, quae, poros partium ſolidarum ſubeuntes, illis, tanquam corporibus ſpecifice gravioribus, adhaerent, hasque ſenſim quoad omnem dimenſionem expandunt. Ut autem lympha, ad nutritionem partium corporis humani neceſſaria, praeſto eſſe poſſit, requiritur, ut fluidum gelatinoſum maſſam intret ſanguineam, novumque ſemper lymphae pabulum praebeat. Tale fluidum gelatinoſum conſtituit chylus, qui ex cibis ingeſtis & concoctis elicitur. Cum vero cibi chylum praebentes utplurimum ſolidioris texturae ſint, neceſſe omnino eſt, ut

compa-

compages illorum, si concoqui debent, dissolvatur, & partes inter se arcte cohaerentes separentur, ad facilius eliciendam & separandam gelatinosam in illis contentam portionem.

§. III.

Perfici autem hoc optime potulentis, quae, tanquam corpora fluida (§. I.), interstitiis ciborum solidiorum se insinuando, illorum compagem dissolvunt, exinde satis patet, dum illi, qui sub comestione ciborum firmioris texturae potulenta parcius adsumunt, saburram in primis viis viscidam & sanguinem spissum atque impurum colligunt, ipsamque nutritionem, ob chylum spissiorem & parciorem, turbant. Si igitur nulla ab hominibus adsumerentur potulenta, nullus quoque bonus & ad nutritionem aptus ex cibis elici posset chylus, hinc nutritio partium corporis humani turbaretur, immo plane cessaret, & exinde sanitas in morbum & vita in mortem commutaretur. Hac igitur ex ratione potulentorum adsumtionem quibusvis hominibus esse necessariam, nemo, ea quae diximus attentius considerans, ibit inficias.

§. IV.

Regularem & placidum purpurei fluidi, in vasis corporis humani contenti, motum ad sanitatem requiri, ex physiologicis constat. Non posse autem sanguinis motum existere aequalem, nisi debita illius adsit fluiditas, innumerae vasorum exilissimorum, per quae sanguis transire debet, myriades evincunt. Sanguine enim spissiore reddito, transitus

illius per vaſa minoris diametri impeditur, tollitur inde aequalis ad ſanitatem neceſſarius ſanguinis circuitus, hinc aliter fieri non poteſt, quin ſanitas infringatur, id quod plurimi & graviſſimi, ex ſpisſitudine ſanguinis provenientes morbi, luculentiſſime teſtantur. Dum autem potulenta, tanquam corpora fluida (§. I.), maiorem partium ſanguinem conſtituentium cohaeſionem imminuunt, fluiditatem exinde ſanguinis producunt, & hinc regularem ſanguinis motum conſervant, qui, dum ad ſanitatem maxime neceſſarius eſt, facile demonſtrat, quod potulenta omnibus hominibus neceſſaria & maxime proficua exiſtant.

§. V.

Certam & determinatam ſanguinis reliquorumque humorum *quantitatem* ad ſanitatis conſervationem eſſe neceſſariam, Medicorum ſcholae uno ore affirmant. Dum enim regularis & aequalis ſanguinis circuitus ad ſanitatem requiritur (§. praec.), ille autem, ſanguinis quantitate vel in exceſſu, vel defectu peccante, locum habere non poteſt (per princip. phyſiol.), ſequitur, ſanitatem ceſſare debere, requiſito illius neceſſario ſublato. Aſſerti noſtri veritatem permulti iique graviſſimi, nimiam ſanguinis aliorumque humorum abundantiam vel inopiam ſubſequentes morbi, luculentius teſtantur. Si quis igitur magnam fluidorum quantitatem, quae continuo non ſolum per cutis colatorium, ſed etiam per cribrum renale ſe & excernitur, conſiderat, is ſtatim perſpicere poteſt, quod

ſanguinis legitima mox deficeret quantitas, omnesque humores e corpore excernerentur humano, niſi illorum iactura quotidie reſarciretur. Optime autem id perficere poſſe potulenta, vel exinde luculenter adparet, quoniam tanquam corpora fluida (§. I.) ſimiles quoque partes maſſae ſanguineae communicant, & hinc illarum defectum, ab excretionibus continuo ſuccedentibus inductum, reſtituunt. Quoniam igitur ſine potulentis proportionata ſanguinis reliquorumque humorum quantitas, hinc & ſanitas, conſervari non poteſt, magnam exinde illorum neceſſitatem ad ſanitatem mortalium conſervandam exiſtere, ex iamiam dictis abunde ſatis patere exiſtimo.

§. VI.

Sanguinem bene mixtum & a nimia heterogenearum particularum copia repurgatum ad ſanitatem conſervandam eſſe neceſſarium, Phyſiologia uberius docet. Produci autem continuo ſanguinis, praecipue inteſtino, motu, partes heterogeneas & ſanguinis mixtionem turbantes, non ſolum ex hominis cuiusvis excretis, ſed etiam in morbis, ubi nimium motus inteſtinus viget, ſatis clare adparet. Dum igitur continuo illarum proventu bona ſanguinis indoles eiusque mixtio depravatur, & exinde ſanitati noxa infertur, neceſſe omnino eſt, ut heterogeneae iſtae partes per congrua loca e corpore proſcribantur. Multum autem ad iſtarum eliminationem potulenta conferre, exinde ſtatim pateſcit, dum ut corpora fluida (§. I.) partes iſtas hete-

rogeneas in interstitia sua recipere & commode per organa excretoria evehere possunt. Accedit insimul, quod potulenta, dum sanguinis fluiditatem producunt (§. III.), excretiones & partium heterogenearum a massa sanguinea separationem promoveant, & exinde sanguinis bonam mixtionem, ad sanitatem adeo necessariam, conservent. Quae cum ita sunt, luculenter sane adparet, tantam esse potulenta adsumendi necessitatem, ut nullus mortalium citra sanitatis dispendium illorum usum omittere queat.

§. VII.

Uti quibusvis hominibus, ita etiam inprimis *aegrotis* potulenta quam maxime esse necessaria, illisque insignem adferre utilitatem, multis evictum dari potest rationibus. Magnam felicis aegrorum curationis partem ab eorum usu dependere, pessimus morborum, in quibus potulenta parcius adsumuntur, testatur eventus. Morbos decurrere feliciter, si caussa illorum tollitur, exinde satis adparet, dum curatio nihil aliud est, quam caussae morbum inducentis remotio. Maxime autem remotionem caussarum morbificarum potulentorum congruorum usu adiuvari & promoveri, ex ipsa generali earum consideratione patebit. Si caussas morbos inducentes scrutamur, haerent illae vel in solidis, vel in fluidis corporis humani partibus; si prius, morbi producuntur vel ab *atonia*, vel *spastica partium constrictione;* si posterius adest, erit vel *quantitas,* vel *qualitas vitiata* morborum caussa. Ponamus

mus igitur, morbum ab *atonia* partium dependere, tunc ea omnia erunt proficua, quae, influxum liquidi nervei in partes promovendo, istarum tonum vividiorem reddent. Promovebitur autem influxus liquidi nervei in partes, si libera eius secretio adiuvatur. Adiuvari vero secretionem liquidi nervei potulentis, exinde patet, dum fluiditatem sanguinis producendo (§. III.), uti reliquorum humorum, ita etiam liquidi nervei secretionem facilitant & promovent. Cumque praeterea potulenta partes spirituosas, tonum partium insigniter adiuvantes, continere possunt, illa exinde in morbis ab *atonia* obortis necessaria & proficua esse, nemo, hactenus prolata considerans, negabit. Non solum autem in morbis ab atonia, verum etiam a *spasmo* partium solidarum productis, necessaria existunt potulenta. Circulum sanguinis in morbis spasmodicis mire turbari, ex eo statim liquet, dum sanguis per partes spasmo affectas transire nescius, ad alias partes copiosius ruere debet. Cum vero morbus inde magis magisque sustentatur, erunt illa salutaria & necessaria, quae sanguinis motum a spasmis turbatum aequabilem efficiunt, dumque potulenta id praestant (§. III.), eorum necessitas sponte adparet. Accedit praeterea, quod potulenta, si spasmi ab acribus producuntur & foventur recrementis, excretiones promovendo (§. VI.), illorum eliminationem itidem promoveant, ipsisque spasmis, si calide praesertim assumantur, eo magis resistere valeant.

§. VIII.

Et morbos a *vitio humorum*, eorumque vel *quantitate*, vel *qualitate vitiata* productos, feliciter ſine potulentis non poſſe decurrere, ſpecialior illorum conſideratio docet. Morbi a nimia ſanguinis quantitate oborti non poſſunt tolli, niſi quantitas illa humorum imminuatur. Imminuitur autem optime excretionum promotione, quam cum potulenta efficiunt (§. VI.), illorum in his morbis neceſſitas & utilitas ſua ſponte adparet. Si humorum ſpiſſitudo morbos produxit, eo erit adnitendum, ut fluiditas illorum reſtituatur, cumque potulenta eundem praeſtant effectum (§. III.), quis illorum neceſſitatem in morbis, praedictam agnoſcentibus cauſſam, in dubium vocabit? Ubi demum acris humorum diatheſis morborum cauſſa exiſtit, ceſſabunt illi, cauſſa hac ſublata; cumque potulenta, partium heterogenearum ſeparationem a maſſa ſanguinea promovendo (§. VI.), malam illius diatheſin emendant, luculenter iſtorum neceſſitas non ſolum in his, ſed etiam in multis aliis praedictis morbis adparet. Poſſemus etiam, pro ulterius probanda potulentorum neceſſitate, ad morbos, ubi fervidus humorum motus & calor nimium auctus urget, provocare, ubi ſane nec aeſtus ſedari, nec fauces aridae atque exſuccae irrigari, nec excretiones praecipue, ad felicem morborum decurſum obtinendum, ſine potulentis promoveri poſſent, ſed potius humorum maſſa in tenax & vix ſolubile coiret coagulum; niſi Iliada poſt Homerum nos canere

nere metueremus, cum hoc iam in Differtat. Dn. D. THAER, sub Praesidio Excellent. b. m. VATERI An. 1732. Wittenbergae habita, *de potus in febribus necessitate*, egregie praestitum fuerit.

§. IX.

Non unius eiusdemque indolis esse potulenta, sed plurimas maximeque diversas eorum dari species, quotidiana edocemur experientia. Non errabimus autem, si eadem in duas dispescemus classes, quarum priorem *potulenta naturalia*, & posteriorem *artificialia* constituunt. *Naturalia* vocamus *potulenta*, quae sine ulla praegressa praeparatione adsumi possunt: per *artificialia* vero intelligimus ea, quae, certa & peculiari praeparatione praegressa, ad adsumendum idonea existunt.

§. X.

Aquam & *lac* sine ulla praevia praeparatione, testante experientia, posse adsumi, hinc ad potulenta *naturalia* esse referenda §. anteced. docet. Cum vero reliquae potulentorum species, quo spectant, *cerevisia*, *vinum*, huiusque variae species, *serum lactis* & *ptisanae*, praegressa demum peculiari & convenienti praeparatione ad adsumtionem aptae evadunt, illas ad classem *potulentorum artificialium* pertinere idem ille §. praecedens monstrat. Spectant equidem ad potulenta artificialia adeo decantatum infusum herbae Thee & decoctum fabarum Coffee, mirumque videri posset, quod ipsorum non fecerimus mentionem; verum, cum nec in morbis, nec extra illos tanquam ordinaria adhibeantur potulen-

tulenta, ſed tantum aliis interponantur, ideo illa in ſubſequentibus ſicco tranſibimus pede.

§. XI.

Maximam non ſolum morborum, verum etiam ſubiectorum iſtis adflictorum, eſſe diverſitatem, non eſt quod ambigamus. Quoniam igitur magna (iuxta §. praeced.) potulentorum exiſtit diverſitas, hinc congruus illorum delectus, inprimis tum ob morborum, tum ob ſubiectorum varietatem, utique erit neceſſarius. Quum vero ſubiectorum cognitio morborum indagationem praecedere debeat, operae pretium faciemus, ſi prius, *ſubiectorum* rationem habendo, disquirimus, quaenam potulenta illis in genere conducant, quam ad conſiderationem delectus congruorum potulentorum in morbis obſervandi, nos accingimus. Si ergo ad *ſubiecta* attendimus, illa potiſſimum vel *ratione aetatis*, vel *temperamenti*, vel *ſexus* conſiderantur. Ratione *aetatis* dividuntur in infantes, pueros, iuvenes, viros & ſenes; reſpectu *temperamenti* occurrunt ſubiecta cholerica, melancholica, ſanguinea & phlegmatica; ratione *ſexus* ad virgines & mulieres praecipue reſpiciendum eſt. Noſtrum igitur erit, ut paucis, quaenam potulenta horum ſubiectorum cuivis congrua ſint, denotemus.

§. XII.

Nutritionem *infantibus* maxime eſſe neceſſariam, dum partes illorum admodum tenerae in dies firmari & magis magisque augeri debent, ipſum partium, quibus gaudent, continuo & brevi ſucce-

dens

dens testatur augmentum. Erunt igitur potulenta infantibus congrua & proficua, quae copiosiores partes nutritioni inservientes in se continent; & quoniam *lac* eiusque *serum dulce* talibus partibus largiter gaudent, illa exinde infantibus utilia esse & congrua quilibet facile concedet. Hac ex ratione divina constitutum esse providentia mihi videtur, ut teneri infantes e mammis maternis lac, tanquam maxime sibi congruum potulentum, assumant; id quod exempla infantum, qui, lactis usu destituti, vel mox ablactati, debiliores & teneriores partes solidas successu annorum obtinent, luculenter testatum ire possunt. Interim non obtendimus, quod nullum aliud potulentum infantibus, praeter lac, conducat, siquidem in morbis illorum Ptisanae & aliae potulentorum species optimum praestare possunt effectum; id tantum exinde liquet, quod infantibus in genere, & inprimis extra morbos, potulenta nutrientia, & praecipue lac eiusque serum dulce, sint congrua atque proficua.

§. XIII.

Firmiorem & auctiorem partium solidarum *puerorum* compagem atque constitutionem, quam infantum, annorum successus, corporis incrementum, ipseque testatur adspectus. Congrua igitur illis nequaquam erunt potulenta valde nutrientia, cum partes illorum solidae, iam iam firmiores, non tanta indigent nutritione, quanta in infantibus requiritur. Accedit, quod pueri plus ciborum, quam infantes, possint adsumere & re vera adsumant,

mant, atque exinde materiem ad nutritionem necessariam ſat largiter ſibi acquirant. Qua de causſa proficua pueris erunt potulenta tenuiora, ut cereviſiae ſecundariae, ſerum lactis acidulum, ipſaque aqua cum pauxillo vini remixta. Ob adpetitum enim vegetiorem ſubiecta haec cibis ſaepius ventriculum nimis replent, adeoque neceſſarium erit, ut potulentis praedictis, digeſtioni ſubvenientibus, bonus chylus, hinc temperati & laudabiles humores & exinde bona nutritio obtineantur. Iam dudum RIEDLINVS *Curat. med. Cent. VIII. Obſ. 756.* & *Lin. med. Ann. II. Menſ. Mart. obſ. 8.* quibusdam exemplis probare anniſus eſt, in pueris humores viſcidos abundare & pituitoſos, ſique hoc veritati eſt conſentaneum, prout veriſſimum omnino exiſtit, nova rurſus emergit ratio, cur potulenta praedicta, utpote ſpiſſos humores attenuantia & diluentia, pueris optime conducant.

§. XIV.

Iuvenes, ob nutritionem parciorem & adpetitus vigorem, utplurimum laborare plethora & exinde oriundis humorum noxiis commotionibus, haemorrhagiae illis maxime familiares confirmant. Quoniam vero ex illa humorum abundantia peiora mala morbique produci poſſunt ſat graves, in delectu potulentorum ea erunt maxime congrua, quae abundantiam humorum, eorumque impetum, imminuere poſſunt, cumque hunc effectum potulenta diluta, cereviſiae leves, ſecundariae, earumque variae ſpecies, ſerum lactis acidulum & aqua pura

pura fontana, optime praeſtant, illa exinde iuvenibus, praeſertim ad orgasmum humorum diſpoſitis, eſſe congrua & neceſſaria, omnes forſitan concedent. Facile etiam nunc liquet, quod, quia *viri*, ob deficiens partium in longitudinem incrementum, pariter utplurimum plethora laborant, id etiam ratione potulentorum delectus de iis valere debeat, quod de iuvenibus modo diximus. Erraret hinc in totum, qui potulenta valde nutrientia & commoventia his ſubiectis congrua & proficua eſſe obtenderet, quorſum cereviſias valde ſaturatas & pingues, vina eorumque ſpiritus artificiales referimus, utpote quae, cauſſas morborum augendo & accelerando, plus noxae, quam emolumenti, ſpondent. Interim ad vitae genus ſimul erit reſpiciendum, quod, ſi mobile & validis obnoxium eſt laboribus, noxam a praedictis potulentis, praeſertim cereviſiis craſſioribus, producendam, avertet; hinc ratio poteſt dari, cur plurimi, licet potulenta prorſus incongrua adſumant, nullum facile detrimentum ratione ſanitatis experiantur.

§. XV.

Solidas partes in *ſenibus* evadere rigidiores, & motum humorum exinde tardiorem & debiliorem reddi, experientia quotidie docet. Non poteſt igitur aliter fieri, quin maſſa humorum in his ſubiectis impura & ſpiſſa evadat, ipſaeque excretiones magis magisque imminuantur. Optima exinde & congrua ſenibus erunt potulenta, quae non ſolum humores fluidiores reddent, ſed etiam, par-

tes ſolidas ad vegetiorem contractionem leniter ſtimulando, excretiones promovebunt. Egregie autem hunc praeſtare effectum vina cum aqua remixta, ſeu ſic dicta lymphata, exinde ſtatim patet, dum pars aquoſa humoribus fluiditatem conciliat, & elementa vini ſpirituoſa, partes ſolidas ad motum vividiorem ſtimulando, excretiones promovent. Non immerito hinc vinum, ex omni parte bonum & non nimis generoſum, *lac ſenum* vocatur, quoniam, ſicuti lac nutritionem infantum perficit, ita etiam vinum in ſenibus longaevitatem, vaſorum nempe permeabilitatem & humorum fluiditatem conſervando, ipſumque calorem naturalem, admodum in illis debilem, ſuſcitando, non parum promovet. Conf. Diſſert. inaug. *Dn. D. Franc. Anton.* GVERING, *de Vini intra corpus aſſumti uſu & noxa, pag. 29.* Interim potulenta tenuiora itidem ſenibus erunt utilia, eum praecipue in finem, ut acrimoniam humorum, illis utplurimum familiarem, contemperent, imminuant &, excretiones adiuvando, prorſus tollant.

§. XVI.

Si ſubiecta ratione *temperamentorum* conſideramus, prius *cholerica* noſtrae ſubiiciemus contemplationi, videndo, quaenam potulenta iis conveniant. Adeſſe in his ſubiectis rapidum & fervidum ſanguinis motum, hinc & fortiorem partium ſolidarum contractionem, Phyſiologia pluribus docet. Convenientiſſima igitur illis erunt potulenta, quae non ſolum velociori partium contractioni reſiſtent,

ſed

ſed etiam humores, multis acribus & ſulphureis partibus gaudentes, blandiores reddent, eorumque motum contemperabunt. Talia ſunt inprimis aquea, acidulata, & partibus ſubtilioribus mucilaginoſis inſtructa, nimirum ipſa aqua fontana, ſerum lactis, aqua cum ſucco limonum, citri, &c. leniter acidulata, vel paſta amygdalarum ſubacta, cereviſiae tenues triticeae, &c. quae potulenta nimiam fibrarum tenſionem imminuendo & partium ſulphurearum copioſum proventum impediendo, his ſubiectis inſigne adferunt emolumentum.

§. XVII.

Praedita eſſe ſubiecta *melancholica* fibris denſioribus, hinc motum humorum in iis eſſe tardiorem, praeſente ſimul eorundem ſpiſſitudine, Medicis notiſſimum eſt. Quoniam vero haec ſubiecta eandem ferme conſtitutionem partium & humorum cum ſenibus habent, illa hinc potulenta, quae ſenibus conducunt, iuxta §. XV. pariter iis convenire, nemo ſane, vel me tacente, negabit.

§. XVIII.

Si ſubiecta *ſanguineo* ſic dicto gaudentia *temperamento* conſideramus, reperiuntur in illis, iuxta Medicorum aſſerta, partes ſolidae nec nimis laxae, nec nimis ſtrictae, & laudabilis humorum mixtio, ob motus vitales placide ſuccedentes. Haec igitur prae omnibus aliis quaevis ferme potulenta ferunt, dum nec mixtio humorum, nec partes ſolidae, ſtatim alterari & immutari poſſunt. Verum ſi quis conſiderat, quod haec ſubiecta, ab ipſo ſan-

guine abundante & praedominante ita denominata, humorum copiam alant, & insuper ad eorundem commotiones satis facile disposita sint, statim perspiciet, illis potulenta tenuia, cerevisias nempe secundarias, serum lactis acidulum, & aquam cum vini pauxillo remixtam, quam optime proficua & congrua existere.

§. XIX.

Ab ipso *phlegmate*, seu humoribus aquosis abundantibus, subiecta temperamento sic dicto *phlegmatico* gaudentia nomen suum obtinuisse, inter omnes constat. Esse in his subiectis partes solidas admodum laxas, ipsa humorum aquosorum abundantium consideratio evincit. Posset exinde quis iudicare, nulla potulenta phlegmaticis subiectis esse congrua, dum illorum maxima pars constitutiva aqua est, laxitatem partium augens; verum enim vero, quoniam potulenta etiam talia continere possunt principia, quae non solum partes solidas roborare, sed excretiones simul promovendo humores imminuere valent, nemo sane potulentorum in his subiectis utilitatem poterit in dubium vocare. Congrua igitur erunt phlegmaticis potulenta roborantia, qualia sunt vina generosa, praesertim rubra, & cerevisiae inprimis amarae, utpote quae, partes solidas roborando & excretiones humorum serosorum promovendo, utique ipsis summopere conducunt. Quoniam autem dilutiora potulenta non solum partes hasce relaxant, sed etiam copiam humorum

morum augent, eadem exinde his ſubiectis plus noxae, quam emolumenti, adferent.

§. XX.

Poſſet quis ea, quae de congruo potulentorum delectu ratione *temperamentorum* diximus, in dubium vocare, partim nos vitii cuiusdam commiſſi culpando, quod ſigna temperamentorum non adpoſuerimus, partim nos falſitatis accuſando, quod potulenta, quae certis temperamentis noxia reputavimus, optime talibus ſubiectis iuxta experientiam conducerent. Aſt, quod primum attinet, ſupponimus omnino iure meritoque aliunde a lectoribus harum paginarum notitiam ſignorum, quibus temperamenta cognoſcuntur, quoniam ſpecialis illorum enumeratio a ſcopo noſtro plane aliena eſt. Quoad alterum autem, maxime reſpiciendum erit ad temperamentorum mixtionem, in plurimis ſubiectis manifeſto obviam. Nos enim temperamenta hic ſigillatim perluſtramus, conſiderando quaenam potulenta cuilibet eorum conveniant, ſi ſimplicia & quaſi ſolitaria illa fuerint; quoniam vero bina temperamenta & plura in uno ſubiecto exiſtere poſſunt ac plerumque revera exiſtunt, erit inde iuxta combinationem temperamentorum in ſubiectis de potulentorum uſu iudicandum. Ponamus, in ſubiecto quodam adeſſe temperamentum ſanguineo-phlegmaticum, tunc potulenta vinoſa, in copia non adeo magna ſolitarie adſumta, non nocebunt, ob coniunctum phlegmaticum temperamentum, licet ſubiecto ſanguineo in ſe ſpectato minus

nus utique proficua existerent. Si quoque potulentum, subiecto cuidam ratione temperamenti maxime noxium, nullam pareret noxam, adhuc ratio habenda erit consuetudinis, quippe quae, ceu altera natura, noxam, a quadam re certissime alias metuendam, imminuere & prorsus avertere, ipsaque venena in medicamenta potest commutare.

§. XXI.

Denique in delectu potulentorum ad *sexum* praecipue *sequiorem*, dum potioris iam mentio facta est, erit attendendum, quoniam maxima sanitatis pars ab illis dependet. Plurimos morbos in virginibus & foemellis a mensium imminutione vel obstructione originem trahere, Medicis Practicis notissimum est. Utplurimum autem lernam tot malorum a sanguinis spissitudine oboriri, inde patet, dum sufficienti congruorum potulentorum usu optime haec mala profligantur. Congrua igitur his subiectis erunt potulenta tenuia, quorsum spectant aqua fontana, serum lactis acidulum, cerevisiae secundariae leves & diureticae, atque maiori praesente humorum spissitudine, Ptisanae ex ingredientibus resolventibus paratae, quippe quae si sufficienter adsumuntur, humorum spissitudinem imminuendo, optimum, tollendo frequentiorem talem caussam morborum sexui sequiori familiarium, praestare possunt effectum pro conservanda sanitate. Et quamvis plurima horum subiectorum aegre potulenta in sufficiente adsumant quantitate, eo tamen erit respiciendum, ut a parciore illorum adsumtio-

ſumtione ſucceſſive magis magisque ad largiorem diſponantur uſum. Quoniam autem potulenta commoventia minusque diluentia, ut vinum, cereviſiae valde ſaturatae, &c. humores ſpiſſos non attenuant, ſed potius irregularem eorum motum & & ſtagnationes inducunt, utique hinc talium uſum ſexui ſequiori magis noxium eſſe quilibet facile cognoſcet.

§. XXII.

Conſiderato congruo potulentorum delectu quoad ſubiectorum conditionem, neceſſarium erit, ut nunc disquiramus, quaenam potulenta *in morbis* congrua exiſtant. Dum vero omnes morbi ratione decurſus & periodi in *acutos* & *chronicos* optime diſpeſcuntur, noſtrum erit, ut prius *acutos morbos* luſtremus, diſpiciendo quaenam in illis congrua ſint potulenta, ac poſtmodum ad contemplationem morborum chronicorum progrediamur. Morbos acutos, eorumque ex numero *malignos exanthematicos*, miasma ad alcalinam magis vergens indolem fovere, unanimi fere conſenſu Medicorum dogmata evincunt. Produci ab hoc miasmate valde auctum ſanguinis inteſtinum motum, ſanguinem nimis disſolventem & eius craſin penitus disturbantem, inſignis virium proſtratio, pulſus debilis, aliaque teſtantur ſymptomata. Congrua igitur & ſalutaria erunt potulenta, quae non ſolum motum ſanguinis inteſtinum, hinc deſtructoriam miasmatis vim, infringent, ſed etiam eius expulſionem promovebunt. Nequaquam autem hunc effectum praeſtabunt po-

tulenta vinoſa & commoventia, quippe quae, ob principium ſpirituoſum & volatile, maſſam ſanguinis iam reſolutam magis commovendo & reſolvendo, motum ſanguinis inteſtinum plus iuſto augendo, & miasma ſubtile diffundendo & multiplicando, ſiniſtrum accelerabunt eventum. Interim, ſicut nulla regula ſine exceptione eſt, ita ratione vini adſumendi in his morbis reſpiciendum erit ad debilitatem & conſuetudinem: urgente enim virium proſtratione & pulſu debili, vini pauxillum, ob analepticam & roborantem virtutem, imbecillitati quodammodo mederi, ſique ſubiectum aegrotans diaetae vinoſae adſuetum eſt, vinum praeſertim aqua dilutum, ſolatium & utilitatem adferre poterit. Teſtatur hoc LINDENIVS, *in Select. med. pag. 195. Mater mea*, inquit, *moratiſſima & abſtinentiſſima foemina, abſtineri a vino non potuit etiam in acutiſſimis febribus, imo curari nunquam ſine vino. Sunt exempla mihi vel centum in promptu; &c.* Conf. Diſſert. inaugur. Excellent. b. m. SCHVLZII, *de vino interdicendis.*

§. XXIII.

Neque in his morbis congruae erunt cereviſiae, ſive lupulatae, ſive triticeae: ob ſpirituoſas enim & ſulphureas partes motum ſanguinis inteſtinum, hinc & miasmatis vim, multiplicabunt, ac ob ſpiſſiorem conſiſtentiam, excretiones retardando, ſeparationem miasmatis ab humoribus impedient, quo facto fieri non poteſt, quin morbi hi lethalem ſortiantur eventum. Accedit adhuc alia ratio, ob quam potus cereviſiae in his morbis merito diſſua-

dendus

dendus videtur. Constat observationibus Practicorum, cerevisias cum bile acriori, a copia particularum alcalinarum, in his morbis abundante, inducta, confermentare, atque exinde cardialgias sat graves saepiusque diarrhoeas excitari; quoniam autem his symptomatibus humores a peripheria ad interiora pelluntur, hacque ratione excretio peripherica supprimitur & eliminatio miasmatis morbifici impeditur, hinc potus cerevisiae in his morbis noxius erit atque incongruus, dum felicem & salutarem eorum decursum turbat atque pervertit. Nequaquam igitur potus cerevisiae, praesertim spissioris & saturatae, in morbis acutis exanthematicis concedendus erit, nisi summe tenuis & secundaria fuerit, si forsan quoddam subiectum alias potulentorum species ferre non posset. Nec lactis potus in his morbis foret congruus, quod ob laesam digestionem & bilis acrioris praesentiam mox in coagulum abiret gravissimaque excitaret symptomata. Optimus igitur & summe congruus erit potus aquae fontanae, praesertim succo citri acidulatae, ac seri lactis aciduli, quippe quae potulenta, ceu maxime tenuia & levia, aestum sedare, particulas heterogeneas, mixtionem humorum destruentes, in se recipere, immutare atque prae aliis e cutis colatorio proscribere valent. Nec effectu destituentur exoptato Ptisanae demulcentes & leniter diaphoresin moventes, ex rad. Scorzon. Cichor. Chin. rasur. C. C. & sem. Foenicul. concinnatae, utpote quae, particulis tenerioribus mucilaginosis miasma involvendo, mo-

tum ſanguinis inteſtinum & deſtructorium inhibendo, & inſimul miaſmatis excretionem promovendo, egregium praeſtabunt effectum.

§. XXIV.

Morbos acutos *inflammatorios*, quo ſpectant cauſus, febres ſynochae, bilioſae, pleuritis & peripnevmonia, &c. fervido & rapido ſanguinis per vaſa circuitu ſtipari, ipſa ſymptomatum evincit conſideratio. Ad promovendum igitur felicem horum morborum decurſum neceſſarium erit, ut ea, quae ſtaſeos inflammatoriae diſcuſſionem impediunt, removeantur. Maxime igitur potulentorum delectus erit neceſſarius ad hunc finem eo felicius impetrandum. Cum enim valido ſanguinis motu atque vehementi exinde producto aeſtu fluidiſſimae humorum partes conſumuntur, lympha roſcida inquinatur, humores temperati & laudabiles deſtruuntur, totaque ſanguinis mixtio invertitur, potulenta hic maxime erunt congrua, quae non ſolum fluidiſſimarum partium iacturam reſtituunt & aeſtum mitigant, ſed etiam acriores impuritates, a nimio humorum motu productas, corrigunt & evacuant. Omnibus autem his indicationibus ſatisfaciet potus aquae, inprimis leniter acidulatae, quae tam humores fluidos reddendo & aeſtum mitigando, quam impuritates acriores in ſe recipiendo & eliminando, optime ea, quae ſtaſeos inflammatoriae diſcuſſionem impediunt, removebit. Eundem praeſtabunt effectum, ſerum lactis acidulum itemque Ptiſanae hordeaceae & avenaceae, vel ſimiliter acidulatae, vel ex ingredienti-

dientibus mucilaginosis & diaphoresin moderate promoventibus paratae, quae similem corrigentem & evacuantem egregie promovebunt effectum. Sedulo autem in his morbis abstinendum erit a potulentis spirituosis, vinosis & cerevisiariis, ob inde certissime pertimescendum aestus augmentum, spasmorum incrementum, plenariam humorum laudabilium consumtionem, & ingentem acriorum impuritatum proventum.

§. XXV.

Maxima congrui potulentorum delectus, in morbis acutis, inflammatione simul ventriculi & intestinorum, a bile acri & corrupta inducta, vel imminente, stipatis, necessitas per se adparet. Exemplo inservire possunt causus, febres biliosae, dysenteria, &c. quorum affectuum caussa bilis corrupta, acris & caustica utplurimum existit. Funestus certe horum morborum existeret decursus, si quis potulenta vinosa & spirituosa aegrotis talibus praebere vellet, quoniam talia acrem & corrosivam bilem, tunicam ventriculi vel intestinorum nerveam graviter arrodentem, acriorem omnino redderent, spasmos & inflammationem augerent, ac stasin denique lethalem producerent. Similis a cerevisiis esset exspectandus effectus, quoniam cum bile acriori confermentando causticitatem illius acuerent, sitim immodicam non exstinguerent, cardialgicos dolores augerent & ominosum tanto certius accelerarent eventum. Ea igitur tantum congrua erunt potulenta, quae bilem corruptam & causticam diluere, corri-

gere & ad excretionem diſponere poſſunt. Optime autem id potus aquae, praeſertim frigidiusculae, perficiet, utpote quae, ob fluiditatem, aridas fauces optime humectat, ſitim moleſtiſſimam clamoſam reſtinguit, aeſtum igneum temperat, & acrimoniam bilis diluit ac infringit, corruptumque hunc humorem excretioni aptum reddit, prout hoc exempla varia, de ſalubritate potus aquae frigidulae in his morbis, uberius teſtantur, qualia inprimis occurrunt in *Act. Nat. Cur. Dec. II. An. IX. Obſ. 53. p. 84.* & *Obſ. 176. Schol. p. 337. it. Dec. II. An. X. Obſ. 139. p. 228.* Eandem quoque utilitatem praeſtant Ptiſanae, ex rad. Scorzon. Cichor. raſur. C.C. flor. Papav. rhoead. & ſem. Foenicul. paratae, gelatinae liquidiores, emulſiones dilutae & ſerum lactis, quae idcirco ſimplicis aquae uſui vel interponi, vel ſubſtitui etiam posſunt.

§. XXVI.

Morbos, qui ratione decurſus chronicis morbis breviores, & reſpectu periculi ſic dictis acutis mitiores ſunt, *febres* nimirum *continuas, lentas & hecticas*, maſſam humorum acrioribus inquinatam impuritatibus pro cauſſà agnoſcere, Pathologia pluribus demonſtrat. Oriri exinde & adeſſe in his morbis magis auctum ſanguinis motum inteſtinum, temperatos ſuccos vitales magis acres reddentem, eorumque mixtionem turbantem, non ſolum calor gliſcens ſiccus & depaſcens, obtuſi capitis dolores, faucium ariditas & ſitis auctior, ſed etiam ſucceſſiva partium emaciatio & affectus cutanei pruriginoſi, luculen-

culenter testantur. Nequaquam igitur potulenta vinosa congrua erunt & concedenda in his morbis, dum succos expandunt, sanguinis motum, & praecipue intestinum, auctiorem reddunt. Felix igitur horum morborum decursus ab adhibitis vinosis potulentis non erit exspectandus, quoniam caussam eorum magis augent, quam minuunt. Neque etiam potus cerevisiarum in morbis hisce locum inveniet, siquidem, sive sint amarae, sive dulces, sive spissiores, sive leviores, sive fusci, sive albi coloris, ob partes heterogeneas, quas in sinu suo fovent, humores iam iam impuros magis inquinabunt, & ob vim commoventem, praecipue si amarae, ac spissioris sunt consistentiae, motum humorum augebunt, plures impuritates producent & indolem horum morborum deteriorem reddent. Et quamvis leves & tenuiores cerevisiae minus noxiae in his morbis videantur, caute tamen cum illis erit mercandum, dum, ob feculentas impuritates & motum fermentativum, multa circa primas vias incommoda, inflationem nimirum abdominis, ructus, cardialgias, tormina, alvi fluxus & alia sontica symptomata, excitare solent. Congrua igitur in his morbis erunt potulenta, quae non solum motum humorum, praecipue intestinum, infringere, sed etiam acriores humores praesentes demulcere & ad excretionem aptos reddere possunt; cumque aqua, serum lactis acidulum, emulsiones dilutae & Ptisanae demulcentes, hunc praestent effectum (§. XXIII.), quilibet sane istorum utilitatem in his morbis concedet.

§. XXVII.

§. XXVII.

Brevibus considerato congruo in morbis acutis potulentorum delectu, ordo & necessitas postulat, ut *chronicos* consideremus *morbos*, inquirendo, quaenam ibi conducant potulenta. Quoniam autem omnes & singulas illorum species perlustrare, nec nostrum institutum, nec limites nostrae Dissertationis permittunt, ideo potiores tantum in genere, iuxta considerationem caussarum, a quibus morbi chronici producuntur, foventur & sustentantur, attingemus. Si ergo caussas horum morborum scrutamur, deprehendimus illas vel in *partibus solidis*, vel *fluidis* earumque motibus vitiatis; hinc adsunt vel *atonia*, vel *spasmus*, vel *humorum* nimia *abundantia*, vel *spissitudo*, vel *depravatio*, quae vel a viscerum obstructione, vel laesione ulceratoria, vel ingestorum & excretorum vitio originem traxit. Quoniam igitur hi morbi eximie omnino inter se differunt, minime idcirco unum idemque potulentum in iisdem congruum erit, unde, quaenam cuilibet illorum classi magis conveniant, paucis videbimus.

§. XXVIII.

Febres intermittentes ad morbos pertinere chronicos, sat diuturna saepius illarum duratio & rebellis pertinacia testatur. Atoniam primarum viarum plus minusve auctam, impuritatum proventui & hinc paroxysmis ansam praebendo, illas producere, non solum caussae procatarcticae, sed etiam remedia has febres demum profligantia, comprobant. Massam humorum in illis tam ob succos

depra-

depravatos, ex officina digestionis provenientes, quam ob motuum in paroxysmis augmentum, impuram reddi, excretiones copiosiores, quibus feliciter terminantur, evincunt. Ad removendas ergo impuritates, & excretiones promovendas, quaevis potulenta non erunt congrua, dum magna & subiectorum & febrium existit diversitas, sed potius illorum delectus, praecipue iuxta tempora decursus, quem servant, erit instituendus. Initio igitur horum morborum, ubi primae viae sordibus turgent, incongrua erunt potulenta vinosa, spirituosa & commoventia; impuritates enim primarum viarum bilioso-acres in se recipiendo, & per massam sanguinis diffundendo, humores magis magisque inquinabunt, insimulque ob partes sulphureas & spirituosas motum humorum, praecipue intestinum, augebunt, acrimoniam humorum maiorem reddent, & sic occasionem subministrabunt, ut facile dein tales febres simplices & regulares in continuas & anomalas transeant, prout hoc confirmant *Act. Nat. Cur. Dec. III. Ann. I. Obs. 67.* Multo minus autem congrua erunt haec potulenta sub paroxysmis; humores enim expandendo, eorum motum accelerando, aestum & sitim exasperando, maximum adferent aegrotis detrimentum. Neque lactis usus in initio harum febrium erit concedendus, quoniam, ob impuritates primarum viarum acres vel acidas, facile in coagulum abire, & gravissima, teste experientia, excitare potest symptomata. Minus pariter congruae erunt cerevisiae qualescunque, inprimis minus defecatae, dum impuritates & atoniam primarum via-

rum magis augent (§. XXVI.). Confirmat hanc earum inſalubritatem inprimis RIEDLINVS, dum *Lin. Med. Ann. I. M. Ianuar. Obſ. 31. pag. 32. Ego ſane,* inquit, *quantum cereviſiae potus* (nimirum in febribus) *noceat, ſaepius iam cum cordolio meo vidi, & adhuc quotidie videre cogor; ſic Pharmacopoei cuiusdam uxor ſexies vel ſepties in febrem intermittentem de novo incidit, ſolum quia a cereviſia omnino abſtinere nolebat; eam enim deinde per menſem, & quod excurrit, ſeponens, ſine alio remedio a febre penitus liberata fuit.* Optima igitur in initio harum febrium erunt potulenta, quae impuritates primarum viarum & ſanguinis acres involvere, earum excretionem promovere, & ſanguinis motum, praecipue in paroxysmis, fervidum attemperare poſſunt, qualia ſunt aqua taleolis citri, vel pane toſto, quadantenus correcta, ſerum lactis acidulum, ptiſanae ex hordeo vel avena, &c. paratae, & cereviſiae ſecundariae non nimium recentes vel vetuſtae, nec feculentae, ſed potius repurgatae & tenuiores. Impuritatibus quoad maximam partem remotis, & febribus declinantibus, congrua erunt potulenta atoniae viſcerum ſuccurrentia, ut aqua cum corticibus Cinnamomi vel Citri leniter decocta, vel vino praecipue rubro permixta, Ptiſanae ex ingredientibus roborantibus & aromaticis paratae, ipſumque vinum parcius tantum adſumendum, quippe quae potulenta, partium tonum vividiorem reddendo, non ſolum in his morbis, ſed etiam in aliis ab atonia dependentibus, cauſſam illarum removendo, congrua exiſtunt.

§. XXIX. *Morbos ſpasmodicos & dolorificos,* ob turbatum humorum circuitum & excretionum ſucceſſum,

humo-

humorum inquinationem & partium solidarum debilitatem producere, Pathologia docet. In delectu igitur potulentorum respiciendum erit, an spasmi adfligant, nec ne? Praesentibus spasmis congrua erunt potulenta demulcentia, ut Ptisanae ex ingredientibus antispasmodicis & mucilaginosis paratae & calide adsumtae, itemque serum lactis dulce. Silentibus illis, potulenta erunt proficua, quae non solum humores impuros corrigere, sed & solida a spasmis debilitata leniter roborare possunt, qualia sunt aquae minerales, vina lymphata & ptisanae ex resolventibus & roborantibus, veluti rad. Cichor. Chin. Sarsaparill. Scorzoner. herb. Marrub. alb. Meliss. citrat. Cort. Lign. sassafr. Citri & sem. Foenicul. paratae. Interim vina, solitarie & copiosius hausta, non erunt congrua silentibus vel vigentibus spasmis; in priori enim casu, humores valde commovendo & expandendo, spasmos invitabunt; in posteriori, circuitum humorum iam inaequalem redditum magis augebunt, & partium constrictionem, ob principium spirituosum, vel alia contenta, magis promovebunt. Minus congruae pariter erunt cerevisiae, dum humorum impuritates augendo & vitia digestionis inducendo (§.XXVI.), caussas horum morborum graviores potius, quam mitiores, reddent.

§. XXX. Morbos, *visceris* cuiusdam *labem*, vel eius *obstructionem*, vel *ulcerosam corruptionem* pro caussa agnoscentes, feliciter decurrere & terminari his caussis sublatis, experientia testatur. Optima igitur & maxime congrua in morbis ab obstructione viscerum dependentibus erunt potulenta, quae reserantis & aperientis sunt virtutis; & quoniam aquae minerales, vina lymphata, ptisanae ex resolventibus paratae, & serum lactis, humores fluxiles reddendo, impuritates stagnantes & impactas diluendo, simulque motum partium solidarum vividiorem reddendo, multum ad apertionem vasculorum

lorum

lorum obstructorum conferunt, utique exinde illorum necessitas & utilitas facile patet. Ubi vero ulcerosa visceris corruptio in culpa est, congrua erunt potulenta abstergentia & roborantia, ut aqua Selterana, serum lactis acidulum & ptisanae, ex rad. Chin. Consol. maior. Cichor. herb. Sanicul. Virg. aur. Heder. terrestr. summit. Millefol. rasur. lign. Sassafr. Lentisci, &c. concinnatae. Locum vero haud invenient potulenta valde commoventia, aut saturata, dum priora, praesente iam obstructione, spasmos & irregularem humorum circuitum producent, sique ulcus forsitan praesto fuerit, febrem lentam & aestum depascentem accelerabunt; posteriora vero humores spissos & impuros reddendo, nullam utilitatem, sed potius noxam insignem conciliabunt.

§. XXXI. Morbos denique vel ab *humorum copia* & *spissitudine*, vel *acrimonia* dependentes, adpropriata & congrua requirere potulenta, consideratio diversitatis caussarum testatur. Ubi igitur *spissitudo* in culpa est, congrua erunt potulenta, quae cohaesionem partium sanguinis maiorem impedient, & motum sanguinis vividiorem reddent, qualia sunt, aquae fontanae leviores, itemque minerales, pauxillo vini permixtae, serum lactis acidulum & Ptisanae resolventes. Si *acrimonia* humorum praesto est, mitigabunt illam potulenta demulcentia & dilutiora, quorsum spectant lac cum aqua permixtum, serum lactis dulce, Ptisanae ex avena vel hordeo &c. paratae, aliaque gelatinosa potulenta. *Abundantiae* humorum tandem, reliquis non neglectis congruis praesidiis, optime medentur potulenta tenuia & diluentia, praecipue aqua fontana & serum lactis acidulum, quae potulenta spissitudinem humorum & cacochymiam, a plethora facile producendam, avertendo, sicque insimul excretiones conservando & promovendo, optime in humorum copia excedente conducent. Quoniam vero potulenta vinosa, spirituosa, & saturata motum humorum nimis acclerant (§. XXVIII.) spissos & impuros humores producunt (§. XXVI.) ideo nequaquam in his morbis convenient. Haec itaque sunt, quae circa *congruum potulentorum delectum, in morborum curatione admodum necessarium*, observanda esse iudicavi. Plura quidem adiicienda adhuc restare fateor; ast, quoniam plenior istorum, quae paucis attigimus, cognitio & explicatio tum in Dissertationibus superius allegatis, tum in aliis Practicorum scriptis hinc inde occurrit, pedem hic figimus & tractationi huic nunc imponimus FINEM.

Nun so folgt auf Dein Bemühn, Freund! den selbst Hygea liebt,
Weil Du Dich in ihrer Kunst als ein ächter Sohn geübt:
Der schon längst verdiente Preiß, die Belohnung Deines Fleißes,
Die Vergeltung Deiner Müh' und des offt vergoßnen Schweißes.
Nimm nun hin den Lorbeer-Kräntz, den die holde Göttin reicht,
Nach dem Du mit Fleiß gestrebt, der leicht keinen andern gleicht;
Nimm ihn nur mit Freuden an; denn die vielen sauren Stunden,
Die Dir selbiger gemacht, sind nun, freue Dich! verschwunden.
Nun so wünsch' ich Dir viel Glück, zu den neuen Ehrenstand;
Höchster seegne diesen Freund! leite Ihn mit deiner Hand.
Hilf den Krancken, stärcke sie, tilge stets Morbonens Tücke,
Dencke aber auch manchmahl an mich Deinen Freund, zurücke.

Johann Christian Hildebrand, Opponent.